



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 166. Vtrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter peccet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

pectamus spiritaliter manducandum in altera vita per visionem in propria specie. Ideo Augustinus tract. 26. in Ioannem docet per cibum, & potum eucharisticum significari societatem, qua prædestinati coalescunt in unum corpus mysticum; sed homines viatores spectant ad societatem mysticam prædestinatorum per fidem, Angeli per visionem.

QVAESTIO CLXV.

Virum solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare?

S. Thomas qu. 80. art. 3.

1. **R**espondet S. Thomas, quod quidam antiqui ne concederent corpus Christi sacramentaliter manducari à peccatoribus, dixerunt, quod statim, ac sacramentum contingit labia peccatorum, corpus Christi desinit esse sub speciebus. Hanc sententiam S. Thomas rejicit vt erroneam. Ratio est, quia ad veritatem huius sacramenti pertinet, vt corpus Christi tandiù maneat sub speciebus, quandiù conseruantur species, & quandiù sub speciebus conseruaretur substantia panis, cui substituitur corpus Christi; sed species non minus conseruantur, dum manducantur à peccatore, quam eum à iusto; ergo corpus Christi sacramentaliter manducatur non solum à iustis, sed etiam à peccatoribus. Confirmatur ex illis verbis Apostoli, *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*; ergo etiam peccatores sacramentaliter manducant eucharistiã. Confirmatur etiam ex Augustino tract. 26. in Ioannem.

2. Ex eodem principio rejicitur opinio, quam Vasquez tribuit S. Bonaventuræ, quæ opinio docet corpus Christi non remanere sub speciebus, dum deuorantur à bestia, e.g. à mure, vel cane. Vt enim dictum est ad veritatem sacramenti pertinet, vt corpus Christi tandiù maneat sub speciebus, quandiù conseruantur species; sed species conseruantur etiam, cum deuorantur à bestia; ergo &c. Confirmatur, nam sequeretur, quod dum eucharistiã projicitur in lutum, vel alium locum sordidum, non remaneret corpus Christi; ergo &c. Ex hoc eodem principio, quod Christus remaneat sub speciebus, quandiù conseruantur species, Gregorius XI. in directorio inquisitorum part. 2. qu. 10. damnat asserentes corpus Christi non remanere sub speciebus, dñ species sumuntur ab iniustis, vel peccatoribus, vel dum à mure, vel alia bestia deuorantur, aut in locum sordidum projiciuntur. Porro hoc non derogat dignitati sacramenti. Nam sicut Christus absque detrimento propriæ dignitatis voluit à peccatoribus crucifigi, sic absque detrimento propriæ dignitatis potest manducari à peccatoribus, vel brutis, præsertim cum nihil patiat

in specie propria, sed solum in specie sacramenti.

3. Potest quæri, vtum Christus, dum manducatur à bruto, manducetur sacramentaliter.

Respondet negatiuè S. Thomas in responsione ad 3. Ratio est, quia manducatus Christus sacramentaliter est manducatus Christus vt sacramentum; sed bruta non manducant Christum vt sacramentum, si quidem non cognoscunt; ergo &c. Ex proportionali ratione, quando aliquis manducaret hostiam consecratam, nesciens esse consecratam, non manducaret Christum vt sacramentum, sed purè materialiter.

QVAESTIO CLXVI.

Vtrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter peccet?

S. Thomas qu. 80. art. 4.

1. **D**e fide est contra hæreticos ad eucharistiã sumendam per se requiritur status gratiæ. Probatum ex Apostolo primo ad Corinthios 11. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*. Dicit autem glossa ibi, quod manducat, & bibit indignè, qui cum crimine est, vel irreuerenter tractat. Ratio est, quia eucharistiã est sacramentum institutum per modum cibi; sed ad sumendum cibum requiritur vita; ergo ad sumendam eucharistiã requiritur vita spiritalis, hoc est gratia. Est etiam de his, quod ita requiratur status gratiæ, vt per se sit graue peccatum accedere ad eucharistiã sine gratia. Rationem affert S. Thomas. Nam est graue peccatum falsificare significationem sacramenti; sed qui accedit ad eucharistiã sine statu gratiæ, falsificat significationem sacramenti; ergo &c. Probatum minor; qui enim ad eucharistiã accedit, exercet actum intimæ familiaritatis, & coniunctionis cum Christo, ideoque significat eam esse amicam Christi, ipsique coniungitur per gratiam, & charitatem; ergo si accedit in statu inimicitia, falsificat significationem sacramenti; & quia falsificare significationem sacramenti est peccatum graue contra religionem, adeoque est sacrilegium, ideo accedere ad eucharistiã sine statu gratiæ est peccatum mortale sacrilegij, & comparatur peccato, quo Iudas, cum esset inimicus Christi, osculando Christum, falsò significauit se esse amicum Christi.

2. Potest quæri, quare peccatores tanquam gentes Christum in propria specie non peccabant, sed potius conseruebant salutem vt Lucæ 7. legitur de muliere peccatrice, & Matth. 14. dicitur, *Quicumque tetigerit fibulam vestimenti eius, salui facti sunt &c.* ex proposito verò peccatores sumentes Christum

in specie panis peccant, & loco consequendi gratiam, & salutem, iudicium damnationis sibi manducant, & bibunt?

Respondet S. Thomas in resp. ad 1. diffinitatem esse, quia Christus in propria specie non se exhibebat peccatoribus tangendum in signum spiritualis vnionis, & amicitie cum ipso: ideo dum Christum tangebant, non falsificabant hoc signum, & non peccabant. At Christus in eucharistia se exhibet manducandum in signum spiritualis amoris, & amicitie, ideoque peccatores, dum sumunt eucharistiam in statu peccati, & inimicitie, falsificant hoc signum, & peccant. Addit, quod Christus ante resurrectionem gerebat carnem peccati, & ideo conuenienter sinebat se tangi à peccatoribus. At post resurrectionem, quia non amplius gerebat carnem peccati, non permisit se tangi à Magdalena, ac dixit illi Ioannis 20. *Noli me tangere*, quia tunc habebat aliquem defectum fidei: & ex proportionali ratione non permittit se sumi à peccatoribus, qui non habent fidem formatam, sed informem.

QVAESTIO CLXVII.

Utrum accedere ad eucharistiam cum conscientia peccati sit grauius omnium peccatorum?

S. Thomas qu. 80. art. 5.

1. Respondet S. Thomas quod peccatum accedendi ad eucharistiam sine statu gratie per se est grauius omnibus peccatis, quæ sunt contra puras creaturas, etiam peccato homicidij, sed est minus graue peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & contra humanitatem Christi; per accidens autem potest esse grauius, quibusdam peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & contra humanitatem Christi, & potest esse minus graue peccatis quibusdam, quæ sunt contra puras creaturas. Probatur prima pars conclusio- nis. Nam peccatorum grauitas per se desumitur ex obiecto, adeoque peccata, quæ sunt directè contra obiectum dignius, sunt per se grauiora; sed obiectorum dignissimum est diuinitas; secundum locum tenet humanitas Christi; tertium locum sacramentum humanitatis; quartum puræ creaturæ; ergo grauiissima omnium peccatorum sunt, quæ directè sunt contra diuinitatem, vt infidelitas, & blasphemia; secundum locum tenent, quæ sunt directè contra humanitatem Christi; tertium, quæ sunt contra sacramenta humanitatis; quartum, quæ sunt directè contra puras creaturas: sed peccatum accedendi ad eucharistiam sine gratia est contra sacramentum humanitatis; ergo est minus graue peccatis directè commissis contra diuinitatem,

Tom. III.

& contra humanitatem Christi, sed est grauius peccatis, quæ committuntur contra puras creaturas: & quia sacramentum eucharistie est dignissimum sacramentorum, ideo sacrilegium accedendi indignè ad eucharistiam, per se, & ex obiecto est maius sacrilegio accedendi indignè ad alia sacramenta. Probatur iam secunda pars. Nam peccatum, factum ex contemptu, & ex certa scientia, est per accidens grauius peccato, quod sit ex infirmitate, vel ignorantia; sed potest contingere, vt aliquis accedat ad eucharistiam, indignè ex contemptu, & ex certa scientia, peccatum autem, quod est directè contra diuinitatem, vel humanitatem Christi, committat ex ignorantia; ergo potest contingere, vt peccatum sumendi indignè eucharistiam sit per accidens grauius peccatis, quæ sunt directè contra diuinitatem, vel contra humanitatem Christi. Potest etiam contingere, vt quis accedat ad eucharistiam indignè ex quadam infirmitate, pura ex timore, ne manifestetur aliquod eius peccatum, & tunc peccatum accedendi indignè ad eucharistiam erit per accidens leuius peccatis contra proximum ex plena malitia commissis.

2. Debet aduertiri, quod grauius peccat, qui accedit ad hoc sacramentum cum pluribus, aut grauioribus, quàm qui cum paucioribus, & leuioribus peccatis; & grauissimè peccat, qui ad ipsum accedit cum peccato infidelitatis. Ratio est, quia cum ad eucharistiam recipiendam requiratur charitas, & gratia, qui magis distat à charitate, & gratia, magis peccat, accedendo ad eucharistiam; sed qui habet plura, & grauiora peccata, magis distat à charitate, & gratia, quàm qui habet pauciora; infidelis autem distat maximè, vt potè, qui caret etiam fide, quæ est principium, & fundamentum totius ordinis supernaturalis; ergo &c. Confirmatur: nam eucharistia est sacramentum ecclesiasticæ vnitatis; ergo qui per infidelitatem est separatus ab vnitate ecclesiæ, est maximè indignus recipiendi hoc sacramentum, adeoque grauissimè peccat, præsertim si sit infidelis circa ipsam eucharistiam. Circumstantia tamen plurium, & grauiorum peccatorum, licet peccatum indignæ sumptionis aggrauet, tamen non mutat speciem, ideoque non est necessariò explicanda in confessione, vt docet Vasquez disp. 207. alijque communiter.

3. Peccatum indignè sumendi eucharistiam comparatur peccato occidendi Christum, in quantum vtrumque est contra corpus Christi, non autem secundum criminis quantitatem, cum peccatum occidendi Christum sit multo grauius. Nam occidentes Christum peccarunt contra corpus Christi in propria specie, & ex animo occidendi Christum: qui autem sumunt indignè eucharistiam, peccant contra Christum, non in propria specie, nec ex animo occidendi Christum, vel ipsi nocendi.

Qq 2 Hiero-